

ΠΡΟΠΕΜΠΤΙΚΑ

19

PIETATE, ERVDITIO-
NE, VIRTVTE ET HVMA-
NITATE SINGVLARI ORNATIS-
SIMO VIRO, D. IOHANNI. O. ZIKZAI, E CE-
leberrima Academia VVitebergenli in patriam
redeunti amico antiqua necessitudine
coniunctissimo &cet.

Scripta ab Amicis :

PAVLO MISCOLCIO,
FRANCISCO COPAZIO, &
NICOLAO MONOSTORIO.

Anno Domini M. D. LXVIII.
Calend., Augusti,

Witebergæ excudebat Iohannes Crato.

Anno M. D. LXVIII.

1808. ÉVI TITK.

PIETATE ERVINDITIO
DE VIRI TIBETHANIS
IN TIBETI SINGULARE ORNATE
...
...
...
...
...

Tiszócsati Református Egyházkerület
Nagykővására, Gebreen
RMK 400

Amo Domini M. D. LXXVII.
Caleni, Augusti.

...
...
...
...
...

ΠΡΟΠΕΜΠΤΙΚΟΝ.

Quantus amor cunctos sanctæ pietatis & almæ
Virtutis stimulet, fatali sidere quodam
Nescio, qua celebrem factis super aëra laudem
Conspicuis studeant, operum diuersa sequentes
Munia, sine tamen rem prætendentes eandem:
Euehere, haud tenui possum perstringere verſu.
Vt modò magnorum pondus tolerare laborum
Non timeant, vario sortis cum munere iunctum:
Sed nec aperta suæ metuant discrimina vitæ,
Per varios casus Fortunæ, Martis, & alta
Climata terrarum, pelagiq; per acta tumentis,
Sustinuisse, pro virtutis munere adacti.

Impulit hoc studium sapiens, Anacharsida doctū
Sedibus è patrijs quondam loca pulchra petentem
Cecropiæ, nitido Musarum fonte, Mineruæ,
Exculta Aonidum, quarum dux magnus Apollo
Fertur, ad æquoreos scopulos, fluctusq; sonantes
Ferre pedem, flauæ possset benè dicta Mineruæ
In patulas aures mentemq; reponere fidam.

Non aliter clarum, meritis super æthere magnis,
Amphitrioniadem, virtutis cura perennis,
Fortunæ ingentes fecit superare labores,
Vt foret æterna virtutis laude notatus.

Sic tua te Pietas doctissime Iane sodalis,

*Vt cura Superum, socio viduatus amore
Extiteras, (magnis liceat si parua referre)
Impulit & varios casus variosq; labores,
In tibi non visis Regnis, populisq; remotis,
Fortuna tolerare dedit, quae si mihi cuncta,
Temporis opportuna quies curaeq; remotae
Adsint, narranti, vix longos dicere soles
Sufficiat: tantos peregrinas dum petis oras,
Virtutis studio, perfers studiose labores.*

*Nam patriae fines caros emensus, & altos
Carpathij montes veniens, vbi nil nisi densum
Pinetum est oculos coram, taciturnaq; sylua
Montibus in medijs, quorum fastigia summa
Vix spectare licet (latronum commoda tecta)
Credibile est varia pectus formidine tangi.
Inde Polomacos saltus, camposq; iacentes
Vandaliae incultos, populos post quos tenet altrix
Silesium tellus, meliori sede locatos.
Ductus ad occidui tandem, per nubila summa,
Littoris Albiaci Musas pietate nitentes,
Martinus, quarum caelestia semina primum
Ille vir insignis diuino robore plenus*

*LUTHERVS, studio praecclarus & ille MELANTHON
Sparserunt, ambo clarissima lumina mundi.*

*Hic tibi Iane quies fuerat, cum cura dolorum
Mentis*

*Mentis abacta tuæ est tristis, quibus ante viarum
Pertæsus, dubias agitabas pectore voces.*

*Hic virtutis apex, studiorum hic feruida turba
Aonidum, varios modulando in carmine cantus
Effingens, celebris cuius tibi fama per astra
Mouerat ingenium peregrinas visere terras.*

*At nunc vnde precor talis sententia surgit
Ingenij? vel quod Numen? (nam dicere nollem
Atrox numinibus) redamatas linquere Musas
Ardenti studio, longo nec tempore habendas
Impellit, referas ambos si scire iuuabit.*

*Æmula sed virtus, cuius dulcedine Ianus
In patriam remeare parat, sic ore locuta
Talia querenti visa est: Ea cura remordet
Heus tibi nunc iuuenis mentem? cur Ianus ab arce
Pegasidum celebri, multarum munere rerum
Ornata, referat gressus, nec tempore longo
Perstet, & inceptum cursu protendat eodem.
Non sic, non Ianus studium dimittere ceptum,
Cuius dulcisono pectus de fonte relutum est
Instituit, patriæ sed cum dulcissima tellus,
Tum pietatis amor, fessos ætate parentes
Munere virtutis, Musarum quod sibi larga
Gratia contribuit, gestans: vel cura Sororum
Thespiadum abripiet iuuenilia corda regendi
Artibus Aonyjs, & dulci nectare veræ*

*Relligionis, in hac rabiosa ætatis Erimyi,
Potandi sancti sitientes dogmatis artem.*

*Ergo age fatales cum non inuertere cursus
Humanum sit opus, quantum mea Musa valebit
Cælestes superos onerando per aëra votis
Exequitur, gratum munus factura sodali.
Ingressum sit iter felix, patriosq; penates,
Edoctus studio rerum, pietatis & almæ,
Contingas saluus, saluos sic quos tibi virtus
Et natura viros opibus vel honore nitentes
In patria tellure dedit spectare valeto.*

*Audiat hæc summi sapiens fabricator olympi,
Adsit cælestis Rex & Saluator Iesus.*

P. M.

ALIVD.

*Est equidem ratio Sortis miseranda fugacis,
Cum quis amicitie fœdera rupta fugit.
Tunc etenim virtus sese non tollit in auras,
Sed turbat fidei munia cœpta suæ.
Fluctuat inconstans, rebus nec fidit apertis,
Languet, & in dubio mens manet ipsa loco.
Aut perit, aut nullo consistit cardine, donec
Citra se finem sistat amicitie.*

AST

Ast quibus est eadem, (quæ anquam ratione diuersa)
 Mens, candor, pietas, & sine fraude fides.
 Ipsa coit felix, ambos in amore tenendo,
 Vt certet studij munere fides amor.
 Nec prius absistit, quam se virtutis amore
 Efferrat, & laudis pignora certa petat.
 Est firma, & constans, nec pro ratione locorum
 Submittit studij candida vela sui.
 Præsentis præsens (virtus aut fallit amicos?)
 Absentisq; absens certat amore fides.
 Est constans animi virtus ratione probata,
 Nec perit exiguo tempore, parta fides.
 Sic ambos idem, studio ô exercite nostri,
 Fœdere sub certo conciliauit amor.
 Fœdus amicitia si qua est ratione probandum,
 Illa mihi tecum rite probata fuit.
 Non repetam tempus, virtus quo prima refulsit,
 Et dedit officij munera clara tui.
 Donec eras mecum, studioq; adiunctus amici,
 Perpetuo nexu fulsit amica fides.
 Quare Pieria postquam remearis ab vrbe,
 Et repetis patriæ limina culta tuæ,
 Num pietas animi, morumq; modestia, virtus,
 Et fidei cessat regula sancta tuæ?
 Corpore semoto nostra hinc mens forte labascit,
 Auolat aut fidei conciliatus amor?

Te sequar ingenio, tecum per aperta viarum
Climata profectus, rura paterna petam.
Hic fratres tecum, longoq; ex ordine amicos
Conspiciam, fidei pignora cara meæ.
✧ Sicut ibi me virtus veteri sociavit amore,
Desinat ut nunquam conciliata. Vale

F. C.

ALIVD.

Quam varijs viguit donis Pandora Deorum:
Sic tu Pannoniæ, quondam non infima, tellus,
Cuncta, quibus mortale genus sua corpora pascit
Non ingrata tuis summo cum fœnore letum
Agricolis munus, Domino ditante, reportas,
Non arua hic segetes, vites fragrantia vina,
Flumina non pisces, montes non aurea dona,
Muneraq; argenti, ferriq; salisq; recusant.
Aër vitalis, suavis nitidissimus, vnde
Temperies cunctis spirantibus alma resultat.
Et quæcumq; olim Parcæ cecinisse feruntur
Aurea secla suos donasse, equidem haud minus ipsa
Fertilis Vngariæ, quin verius, optima rura
Magna suo fundunt poscenti dona colono.

Sed

*Sed quoniam Superi variè sua munera cunctis
 Partiri soliti, trutinæ qua sorte bilancis
 Quisq; suas habeat dotes, sua munia poscat:
 Non tribuunt vni, quicquid chorus ipse Deorum
 Muneris amplius habet. Forma caret alter honesta
 Sceptra tenet summi manibus qui splendida regni.
 Pollet hic ingenio, vires cui infirma negavit
 Natura. Ast alius Cræsi resplendet opimis
 Diuitijs: forti dextra hic ad prælia surgit.
 Sic variæ partes terræ, tractusq; locorum
 Quiq; suis fulgent donis, nec munere toto
 Hic caret aut alius, quoniam sua gloria cuiq;.*

*Nec tua laus minor est alijs Saxonica tellus:
 Nam tibi, quæ multis fuerant incognita terris
 Abdita natura, Pallas quas incolit artes,
 Inmotuere, orbi magnum latura decorum.
 Adde, tibi illuxit summi sapientia Verbi,
 Quam Rex ille ferox Erebi, tibi Christe tuisq;
 Hostis, vt omnis honos meriti, mortisq; cruenta
 In nihilum redeat, cæca caligine dudum
 Texerat, & multis inuoluerat ille latebris.
 Has simul vt nebulas Præco venerande Luthere
 Solem iusticiæ primus qui tollis in altum,
 Executis atq; fugas, docta modo Pneumatis arte.
 Hinc tua fama manet Saxonia, claraq; semper
 Nomina mortales referunt super æthera cæli.*

Alli-

Allicis huc cunctas gentes, quæis cura salutis,
Lilia cen apibus gratissima pabula parcis
Præbent, sic animas sitientes fonte perenni,
Artibus atq; bonis casta cum Pallade donas.

Huc Zikzine venis, motus, per denia quæq;
Doctrinæ studio, Christum quæ monstrat Iesum,
Virtutisq; bonæ, famæ, laudisq; futuræ.
Te Viteberga capit declives Albis ad undas,
Musarumq; choro cupidum te ponit ouanti.
Candida dum dena atq; octo vaga cornua luna
Complet, & auricomus totidem sol signa pererrat
Castalidum recolis gratissima dona Sororum.
Te mihi conspicuus candor, virtusq; decora
Militiæ socium iunxit, gratumq; laborum
Solamen, fuerat quo non mihi dulcius vllum.
Absuit à nostris contentio feruida verbis,
Ira parens odij, sed candida pax & apertum
Pectus amicitia, signum memorabile nostræ.

O vtinam longos liceat mihi viuere tecum
Iane dies, sacrosq; simul potare Sororum
Fontes, sicq; datam tecum traducere vitam.
Hei mihi, sed pietas patriæ, dulcesq; penates
Sollicitant animum, carosq; reuisere campos
Pannoniæ suadent, Musis Helicone relictis.
Non (quia fata vocant) Musarum splendida turba,
Sirius infensus magnos qui concitat æstus,
Nec

Nec te noſter amor, ſicum qui non habet vllum,
 Flectricesq; preces, mulcent quæ pectora Diuum,
 Horrida nec Patriæ, quæ nunc iacet obruta, plaga,
 Iam retinent, auidum, cæptoq; reſiſtere poſſunt.
 Me miſerum, tempus nobis conceſtiſ amicis
 Fata per exiguum ſacras celebrare cohortes
 Muſarum, atq; vnâ gratum potare liquorem.

Sed, quia ſic Superis placuit, non carmine diuo
 Alloquar (hoc pietas poſcit) quin carmine leto,
 Pubi Pannonicæ, reducem quæ fronte benigna
 Expeçtat, gratans, vigilis ſtudyq; leuamen,
 Te ſequitur, fidum, Muſarum dona ferentem,
 Incolumis redeas opto, votisq; precabor.

Summe parens ſanum patriæ iam redde ſodalem,
 Chriſte patris ſoboles dulcem comitator amicum,
 Spiritus alme ſacer, curſus moderare ſodalis.

NICOLAUS MONOSTORIUS.

FINIS.

Chriſtus  eſt via